

2. Nota homines, in quos mors dicitur regnasse. In eos quoque, inquit Paulus, qui non peccarunt *Ἐν τῷ ὁμοιώματι*, id est, κατ' ὁμοιότη-  
*τα transgressionis Adam.*

56. Per hos Marloratus, imitatus alios, mavult intelligere eos, qui sine lege peccarunt, Rom. 2. v. 12. quam infantes. At vero conjunctio, καὶ, illam expositionem refellit: siquidem illa subinfert aliquam distinctionem inter homines. Si autem verborum Pauli hic sensus est: Mors regnavit *etiam* in eos, qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adam, id est, qui non habuerant, ut ille, revelatam certo oraculo Dei voluntatem, sed duntaxat conscientiae testimonium: tum conjunctio, *etiam*, redundabit. Nulla enim distinctione hic erit opus: quia omnibus & singulis hominibus à lapsu Adami usque ad latam legem Moisis, competit, τὸ *sine lege peccasse*, id est, nullam legis Mosaicae notitiam habuisse, neque illam, *ut scriptis tabulis publicè tradita & repetita à Moise est*, violasse. Quare de infantibus hic Paulus differit.

57. Observa. 3. Quidnam intelligatur per τὸ ὁμοίωμα transgressionis Adamiticæ. Absurdus namque fueris, si per transgressionem Adamiticam præcise tantum intellexeris ipsum vitiosum comestionis fructus vetiti actum. Quia possunt intelligi plura peccata in una transgressionem Adæ; si in sua quasi membra dividatur. Nam & *superbia* est illic: quia homo in sua potius esse, quam Dei potestate dilexit: & *sacrilegium*, quia Deo non credidit: & *homicidium*, quia in se mortem præcipitavit: & *fornicatio spiritualis*, quia integritas mentis humanæ serpentina suasionem corrupta est: & *furtum*, quia cibus prohibitus usurpatus est: & *avaritia*, quia plus quam sufficere illi debuit, appetivit: & si quid aliud in hoc uno peccato inveniri potest, uti ait Lombardus l. 2. sent. dist. 33. d. ex August. Enchirid. ad Laurentium cap. 45. Tom. 3. p. 75. Et Ambros. super 5. c. ad Rom. ait: Peccatum Adæ non longe est ab idololatria. Prævaricatus est enim, putans, se hominem futurum Deum. Æstimavit enim, hoc magis profuturum, quod Diabolus suavit, quam quod Deus jussit, in loco Dei Diabolum statuens. Unde & subjectus est Diabolo &c.

58. Non solum autem consideranda est ipsius peccati granditas, verum etiam *modus*, quo patravit illud Adam. Nam inescatus blanditiis Evæ, sciens & volens, contempto Deo, decerpit fructum vetitum, eumque comedit; suisque cupiditatibus & affectibus indulgit: atque ita externum conspicuumque patravit flagitium atrocissimum. Quando